



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno 483. Usque Ad Annum 561.

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1759**

**VD18 90117824**

§. 27. Theodoricus Rex Italiæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66066](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66066)

Sæculum V.  
A. C. 492.

§. XXVII.

*Theodoricus Rex Italiae.*

**T**heodoricus Rex Ostrogothorum puer octennis Leoni Imperatori obses datus, & Constantinopoli educatus fuit. Post lapsum decem annorum a Patre Theodemiro revocatus eidem deinde in Regno successit. At Imperator Zeno ad se accersitum, sibi Filium Militarem adoptavit, ad summas Dignitates evexit, & anno 484. Consulem creavit. Interim Gothi ejus subditi in Illyrico habitabant, cumque illius Regionis paupertas displiceret, apud Imperatorem Zenonem precibus instare cœpit, ut potestatem faceret Populares suos in Italiam ducendi. *Utilius tibi erit, inquiebat, si Italia mihi, qui totus tuus sum, paveat, quam Tyranno, qui te spernit* (Tyranni voce Odoacrum designabat) *si autem acie vincemur, onere, quod tibi sumus, liberaberis.* Consensit Zeno, eique Senatum, & Populum Romanum commendavit. Placuit quoque Gothicis consilium, & Theodorico Ductore per Pannoniam migrantes in Regionem Venetorum pervenerunt. Itaque Theodoricus Italiam ingressus, Probino, & Eusebio Consulibus anno 489. eodem Odoacrum bis prælio vicit. Anno sequenti 490. Fausto, & Longino Consulibus tertio Victor Odoacrum  
intra

Jornand. p.  
482. Procop.  
I. Goth. c. I.



intra Mœnia urbis Ravennatis se conti-  
nere coegit, eumque post trium annorum  
obsidionem compulit, ut deditioem fa-  
ceret. Ita Theodoricus anno 493. Oly-  
brio Consulatum gerente Ravenna in po-  
testatem redacta assumpto Regis titulo  
Italiae dominari cœpit. Odoacro vitæ  
gratiam fecerat, necari tamen iussit, in-  
sidias sibi struxisse obtendens.

Sæculum V.

A.C. 493.

## §. XXVIII.

*Gelasii Papæ Commentarius contra  
Græcos.*

Nec mora Theodoricus mittit Legatos  
ad Imperatorem Anastasium cum epi-  
stola obsequiosissima, qua Pacem posce-  
bat. Hanc facile obtinuit. Legati fue-  
re Faustus, officiorum Magister, & Ire-  
neus, ambo ex illorum ordine, qui Illu-  
stres dicebantur. Gelasius Papa, cum  
ex Fauusti relatis Græcorum contra Eccle-  
siam Romanam querelas comperisset, mi-  
sit ad eum Commentarios, in quibus ad  
Singula respondebat. *Intellexi*, inquit,  
*Græcorum obstinationem corrigi non pos-*  
*se, eosque occasione Legationis a Rege ad-*  
*ornata nihil aliud quærere, quam Fidem*  
*Catholicam evertere. Quid autem sibi vult*  
*Imperator, dum queritur, se a nobis con-*  
*demnatum, cum Antecessor noster Regni*  
*auspicium gratulatus sit, & ego quoque*  
*dati*

Cassiod. var.

2. Ep. 4. to.

6. Conc. p.

1168.